



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

carum reprehensionem vlllo modo pertinens, quæ ipsum Deum authorem habent, non priuatos homines, vt dictum est. Addit postea docere his verbis Christum, *non alium esse rationalem Dei cultum, quàm qui ad regulam verbi eius formatus est.* Sed suprâ ostensum est, nec Christum hoc loco huiusmodi aliquid docere, nec illud in Ecclesia Christi verum esse, tamen in Synagoga Iudæorum quoad publicos & præscriptos cultus verum erat. Nam apud eisdem ex priuato pietatis instinctu multa laudabiliter circa Dei cultum à multis præstita fuisse, variis exemplis ostendimus in Prompt. Cath. Dom. infra Oct. Natal. Domini.

11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

O mnes pene hodie hæretici his verbis abusi sunt, vt ieiunia, aut delectus ciborum ab Ecclesia præscriptos, res liberas esse & nihil ad pietatem facere, quia violatū ieiunium aut quilibet sine delectu cibus coinquinare hominem non potest. A quorum etiam stulticia temperare sibi Caluinus non potuit, quin illud etiam hoc loco annotaret. Nam circa huius parabolæ explicationem quam Christus postea facit, ait. *Hic Christus susius exponit quod prius attigerat, regnum Dei non esse positum in cibo & potu, sicuti etiã Paulus docet, Rom. 14. Nam: quum res externa natura pura sint, liber quoque ac purus est earum vsus. Nec verò ex bonis Dei creaturis contrahitur immundities.* Hæc ille: cui stolido hæretico iam millies à Catholicis responsum est, cibum quidem vetitum quatenus cibus est, & quatenus in os intrat, non coinquinare, sed præcepti Ecclesiastici contemptum, & ipsum cibum, quatenus vetitus est, multum coinquinare. Caro porcina si eam comederet Iudæus vigente adhuc lege, quatenus comesta non coinquinabat; sed quatenus vetita ita coinquinabat, vt sancti illi Machabæi senexque Eleazarus mori potius voluerint quàm illam comedere. Dicit Apostolus, *In vino est luxuria.* Haud dubiè vinum quatenus bibitur & intrat in os non generat luxuriam nec coinquinat, sed immoderatè sumptum luxuriã generat. Sic ergo in cibo vetito est peccatum, sicuti in vino immoderato est luxuria. Pauli verba ad Rom. 14. quam vim habeant, ibi explicuimus. Rerum externarum, tamen in se puræ sunt, non est tamen vsus purus semper ac liber: sed sicut immoderatus vsus impurus atque illicitus est, sic vsus earum legitima autoritate vetitus ac prohibitus impurus quoque atque illicitus est.

Delectus ciborum.

*2. Mach. 6.
Ephes. 5.*